

341

524
Psa.

VIRO JUVENI
Præclarissimo atque Doctissimo
DOMINO
M. CHRISTIANO GO-
DOFREDO ALBERTI,
Fautori Suo atque Amico Honoratissimo
facrum.

LIPSIÆ,
Literis IMMANUELIS TITII.

340





VIR JUVENIS

Præclarissime atq; Doctissime

Fautor & Amice,

Plurimum Honorande, Fratrisque loco amande.



I quid est, quod divinam magis providentiam in humanis redolet, ea sane vultuum similitudo in medium prodire jubetur, quia filii sæpius parentes exactissime referunt. Quod si enim eam indolem plantis indidit natura, ut semen referat stirps inde prognata, stirpi vero accurate vicissim ortus ex ea sureulus respondeat; tum vero nec hoc beneficio Numen orbavit homines, quin vultus potius Parentum in filiis subinde reviviscere fecit. Quantis tamen parafangis corpus hominum antecellit animus, tanto etiam ponderare priorem Parentum filiorumque cognationem ea superat, quia providum in cœlis Numen Parentum quoque animos in pectore filiorum expressos voluit. Fortes enim creantur fortibus & bonis, est in juvenis, est in eqvis patrum virtus, nec imbellem feroces aqvilæ progenerant columbam. Hæc ita meditati oriebatur ex inopinato desiderium, de speculo, vivum quoddam exemplum repræsentante, conceptum. Et ecce! ALBERTI Familia, exteris veneranda, mihi dilectissima peropportune sese sistit intellectui. Viva prodit inde Parentis imago, imago, inquam, gravissimum Patris vultum, sed animum quoque ad majora natum ductibus admodum egregiis exhibens. Ad Te, *Clarissime Vir*, hæc mea tendit oratio, quem hodie tot inter personantia Patronorum Amicorumque vota Laurum dignissimam reportasse video. Vultus ille Tuus, ni mea quidem conjectura fallor, tantum certe Genitorem præ se fert, promittit, loquitur, clamat. Ita enim vix ovum ovo magis simile videtur,
ac

ac Tua quidem diffusa per ora honestas Paternæ gravitati respon-
det. Sed quid vultus? nisi externum fallaxque sæpius boni ani-
mi signum, quo & illi gaudent crebrius, qui mentiuntur integri-
tatem, repositis interea in animo multorum criminum sceleri-
bus. Fortis ille Tuus, *Amice dexterrime*, animus jam in medi-
um progreditur, non semine, sed fructu etiam Paternarum virtu-
tum refertus. Qui enim Summe Reverendi Parentis mecum expen-
do indolem, fortem quidem video in bellis Domini Heroem, cæ-
tera tamen tranquillum, benignum & ad omnem humanitatis ele-
gantiam natum quasi & factum. Indignus ego publicum ea de
re testimonium dare possum, sed & pietate impulsus jubeor. Vix
enim hebdomadis præterlapsum erat spatium, ex quo Almam
hanc Philuream primitus salutaveram; tum splendidi Paternæ
humanitatis radii me jam collustratum reddebant. Neque hi
externam solum præ se ferebant speciem, sed saluberrima quoque
consilia impensum amoris affectum, & quid amorem? fortis-
simum Patrocinium spirabant. Quamvis vero hujus benefi-
cii dignitas satis superque devinctum me reddiderit; noluit tamen
in eo acquiescere ALBERTINA hæc familia, ad omnem cer-
te humanitatem composita. Tu enim, *Fautor Honoratissime*,
heliotropium imitari mihi videbaris, dum non minus Tuo di-
gnabar amore, quam Parentis Magnifici Patrocinio. Neque
id aliunde, nisi ex mutuo animorum, Parentis pariter & Filii, con-
sensu. Nosti præterea, *Vir Præclarissime*, & experientia constat, vi-
vidam quandam seminibus inesse indolem, quæ producto licet
semel iterumque effectu, non tamen quiescit, sed aliis etiam ope-
rationibus concessam sibi virtutem demonstrat; nec aliter Pa-
ternarum virtutum semina in Tuofese habent animo. Imita-
baris in benignitate, sequerebaris in amoris affectu Parentem; ne-
que tamen hoc solum, sed plenis, quod dici solet, velis, ad Pater-
nam quoque eruditionem aspiras. Mittam ego immensas Ma-
gnifici Genitoris laudes, quas reverentius puto horrore sacri silen-
tii obliuari, quam deteri sermonibus, qui longe subsidunt infra
dignitatem meritorum. Et quid opus est verbis? clamant nun-
quam intermoritura ALBERTI merita Philosophorum Palæstræ,
Theologorum campi, tot tantaque ingenii monumenta, quæ
adversariorum ora usque adeò obdurasse novimus, ut præter
calumnias nihil omnino, quod respondeant, relictum sibi
videant. Fallor ego, an concitato cursu, Paterna Te, *Fautor
dilectissime*, vestigia prementem video? Qui vero fallar? cum
tot Amicorum testimonia, quin Tua quoque merita, indefef-
sam

O-
u-
va
od
ut
ro
ec
a-
a-
n-
su-
ve
im
ir-
æc
vi-
ce!
p-
go,
ve
Te,
er-
si-
on-
lo-
ur,
ac


fam in studiis industriam, ortamque inde eruditionis gloriam
profiteantur. In Theologorum hæctenus feliciter desudasti ca-
stris, bono certè omine: hinc enim futurum credo, ut partam à
celeberrimo Parente famam ad posteros quoque glorioso cona-
tu sis deducturus. Neque minori cura Philosophorum signa
hæctenus fuisti secutus; ex quo enim disputatorias Tecum mihi
manus licuit conferere, non poteram, quin ingenio Tuo ad inve-
niendum prompto, ad discutiendum parato in admirationem
me deduci paterer. Sed quid meum in solenni hac Panegyri te-
stimonium? Ipse illud abhinc cedere jubeo, testificandi glorian-
dique vicibus Patronis, Præceptoribus, Promotoribus in solidum
relictis. Quin Tua etiam tempora lauru Magisteriali redi-
mita, strenuam in studiis operam, haustamque inde eruditionem
agnoscunt. Sic ergo reportas hodie, *Amice dexterrime*, Lau-
rum, sic reportas dignissima laborum præmia, sic indolem Pater-
nam Tibi a natura datam indies magis magisque clariorem red-
dis. Gaudeo ego, gaudeo, inquam, ex animo. Et quidni gau-
derem? ipse enim mihi boni quicquam & prosperi obti-
gisse puto, cum res devincti adeo Amici ex voto & animi sen-
tentia fluunt. Ne tamen hæc lætitia tibi videatur inanis, en pe-
ctus votis devotis instructum! Quam ergo Tibi Deus hæctenus
clementiam, quam gratiam, quam benedictionem, quos succes-
sus rerum prosperos largè concessit, ea junctim Tibi posthac lar-
gissimè concedere pergat. Addat incrementa honoribus, eos-
que ad præfixum in æternitate terminum felicissime perducatur.
Studiis ipse Tuis porro etiam ex alto præsit & intersit benignissi-
mus, ut indies Magnificus Parens habeat, cur vivam adeo sui ipsius
imaginem sibi gratulari queat. Ipsum denique Genitorem Ex-
cellentissimum salvum & sospitem quam diutissime Deus esse
jubeat; ita enim tota Christi Ecclesia de Promacho maxime
strenuo, de Doctore splendidissimo florida hæc Lipsiensium
Academia, tota ALBERTORUM Familia de fulcro omnium so-
lidissimo, quin & clientes, quorum ego tenuissimus, de Patrono
optime de se merito gloriari possunt. Vale, Dulcissime Fautor,
& in posterum etiam gratulandi occasionem præbe

Pridie Cal. Januar. Anno Christ.
M. DC. XCV.

Tuo

Ad quolibet officia obstrictissimo

Mauritio Damiano Mareschallo
de Bieberstein.



341

534
B52

VIRO JUVENI

Præclarissimo at

DOM

M. CHRIST

DOFREDO

Fautori Suo atqve An
facru

LIP S

Literis IMMANU



Q.

340

